



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam  
Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum,  
tum Seculare**

**Cabassut, Jean**

**Lugduni, 1698**

X. De censuris Ecclesiasticis generatim.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-62355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62355)

Extravagans *Cum detestabile*, his verbis: *Nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percipit, restitutionem sub anima sua periculo sit adstrictus*. Restitutio ista fructuum fieri potest vel Camera Apostolicæ, ubi spoliolum jus viget, quod non est receptum in Gallia; aut quod menti Sancti Thomæ accommodatur, vel Ecclesiæ quæ læsa fuit, vel egenorum necessitatibus, 2. 2. quæst. 10. art. 6. ad 4. quo loco S. Thomas non requirit Superioris auctoritatem ut læsa Ecclesiæ restituatur, sed eam requirit ut pauperibus fiat restitutio, vel alteri Ecclesiæ quæ per simoniam illam offensa non fuerit. Mediatore quoque simoniæ tenentur ad eandem fructuum restitutionem in defectum Beneficarii simoniaci non restituentis, cum ipsi causam damni suâ culpâ dederint. Navarra cap. 23. num. 106. Eademque excommunicatione Papæ reservata ipso facto ligantur, Extravaganti *Cum detestabile*, de simon.



C A P U T X.

*De censuris Ecclesiasticis generatim.*

I.  Rdo nunc postulat, ut pœnas delictorum Ecclesiasticas discutiamus, cujusmodi sunt censuræ in tres species distinctæ, Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum. Sunt alia insuper pœnæ quas infligit Ecclesia, ut sunt Irregularitas illa quæ ex delicto exoritur: item Depositio à Beneficio, vel officio; & Degradatio.

II. Excommunicatio est censura seu pœna Ecclesiastica, per quam Christianus bonis Ecclesiæ communibus privatur. Hæc bona sunt triplicia: Sacramentorum usus, Suffragia & Orationes Ecclesiæ, exterior Fidelium conversatio.

III. Duplex recensetur excommunicatio, scilicet major & minor. Minor privat solâ Sacramentorum receptione passivâ, sed non eorundem collatione. Quo fit ut qui hanc incurrit, si conferat Sacramentum, etiam citra necessitatis causam, non peccet saltem mortaliter. Si enim peccaret mortaliter, falsa esset Juris suppositio, quod scilicet non privet excommunicatio minor communicatione activa Sacramentorum. Sed tamen juxta Sotum, Avilam, Sayrum, Reginaldum, Coninch, Alterium, peccat venialiter ubi non est necessitas, cum expresse dicat caput *Si celebrat*, de Clerico excommunic. minist. *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta*. At verò secundum Navarram cap. 27. num. 24. Covarruviam in cap. *Alma mater*, 1. parte, §. 8. Suarez tom. 5. disput. 24. sect. 2. num. 12. Bonaciam

cinam de censuris in genere, disp. 2. quæst. 3. num. 4. nullatenus, nec quidem venialiter peccat. Istique exponunt dictum caput *Si celebrat*, quod peccet quidem, atque adeo mortaliter, si celebret ad communicandum alios, non quidem quatenus alios confert, sed quatenus ipse suscipit Eucharistiæ Sacramentum. Ea tamen expositio violenta est, cum dicat textus signanter, *Peccat conferendo*. Privat præterea minor excommunicatio electionis, non activa quidem, sed passiva ad Beneficia, ut possit quis eligere, sed non eligi, d. cap. *Si celebrat*. Quod idem caput statuit præterea non privati quemquam per minorem excommunicationem Ecclesiastica jurisdictione. Est verò unicus in Jure receptus casus, quo ista minor excommunicatio incurritur, scilicet communicando cum excommunicato vitando, cap. *Nepes*, de sent. excomm. & cap. *Cum excommunicatio*, 11. quæst. 3. Dico cum vitando, quia per Extravagantem Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda scandala*, nemo tenetur alios excommunicatos evitare, nisi solos illos qui nominatim & publicè denunciati sunt, & notorios Clericorum percussores. Hæc de minori excommunicatione. Major autem & activa & passiva Sacramentorum communicatione, & suffragiis pariter Ecclesiæ, simulque externa Fidelium conversatione privat, nec nisi per mortale peccatum incurritur.

I V. Præterea excommunicationum aliæ sunt comminatoriæ, seu ferendæ sententiæ; & istæ non ligant ipso solo contraventionis facto, nisi accedat posterior Judicis Ecclesiastici sententia. Aliæ verò dicuntur latæ sententiæ, seu ipso facto, quæ statim sola contraventione incurritur. Harum specierum discrimina ex ipsius Canonis verbis dignosci possunt. Si enim Canon dicat his verbis aut particulis, *ipso facto*, vel *ipso jure*, vel *latæ sententiæ*; aut his adverbis, *statim*, *confestim*, *continuo*, *ex tunc*, *illico*, *in continenti*, *protinus*, aut si verbis utatur præsentis, aut præteriti temporis, *qui hoc fecerit excommunicatur*, *suspenditur*; aut, *sit excommunicatus*, *sit suspensus*, *sit anathematizatus*, *noverit se excommunicatum*, vel *suspensum*; aut, *noverit se excommunicari*, *suspendi*; aut, *excommunicamus*, *suspendimus*, *judicamus*, *declaramus*, *decernimus esse excommunicatum*, *suspensum*; aut, *incurrat*, vel *incidat in excommunicationem*; vel, *habeatur pro excommunicato*, *suspensio*, *interdictio*: hæc omnia connotant censuram latæ sententiæ.

V. At verò comminatoriam, seu ferendæ sententiæ censuram connotant verborum expressiones, *Præcipimus sub pœna excommunicationis*, vel *suspensionis*, vel *interdicti*, vel *sub interminatione anathematis*; vel, *incurrat censuram comminatoriam*; vel, *decernimus excommunicandum*. Hæc & similia satis insinuant non incurri censuram solo ipso facto.

V I. Si verò Canon sic dicat, *Excommunicetur*, *suspendatur*, vel *subjaaceat*, aut *subdatur excommunicationi*, quæ formulæ ambiguae sunt, eo quod intelligi possint & de præsentis, quod ex se infert pœnam latæ sententiæ; & de futuro, quod non nisi ferendam à Judice significat; in his casibus expli-

exploranda erit ex aliis verbis in Canone contentis ipsa Legislatoris mens. Sed si neque hac via explorari possit, tunc judicandum esse censent communiter Doctores, censuram non esse lata, sed ferenda sententia: quia in penis benignior est interpretatio facienda, cap. *In penis*, de reg. jur. in 6. Idemque judicandum de hac formula, *Excommunicationem noveris se incensurum*, tanquam de comminatoria, juxta Felinum in cap. *Rodulfum*, de rescript. Bonacinam de censuris in communi, disp. 1. quaest. 1. puncto 1. num. 6.

VII. Præterea censuræ aliæ sunt à Jure, quæ scilicet Canone, vel Statuto decernuntur: aliæ ab homine, quæ per Judicis sententiam infliguntur. Ambæ inter se differunt. Primò, quia quæ à Jure est, semper generalis est; quæ autem ab homine, potest esse indiscriminatim aut generalis, aut particularis contra determinatas aliquas personas. Secundò quia prior perdurat & viget etiam post Legislatoris mortem, aut amotionem ab officio: secunda definit per mortem, aut ab officio amotionem Judicis. Tertiò, quia prior si non sit specialiter per Canonem reservata, potest absolvi per quemlibet Confessarium approbatum: secundam autem, id est ab homine, solus tollere potest Judex, sive Prælati, qui eam decrevit, aut ejus successor, aut ejusdem Superior, aut is etiam cui Judex ipse hanc delegaverit potestatem. Neque ullatenus potestas ista absolvendi censuras quæ sunt ab homine, comprehenditur sub generali potestate absolvendi à censuris etiam reservatis, sed est specialiter exprimenda. Censuræ enim reservatæ non aliæ intelligi solent quàm quæ à Jure sunt.

VIII. Ut verò aliquis potestate polleat ferendi censuras, necesse est esse Clericum, atque in externo foro Judicem, cujusmodi sunt Prælati, sive Seculares, sive Regulares, sive ordinarii, sive delegati, cap. *Transmissum*, & cap. *Suffraganeis*, de elect. & cap. *Cum ab Ecclesiarum*, de offic. Ordinar.

IX. Episcopus porro in aliena Diœcesi existens ne suos quidem subditos potest aliquâ censurâ afficere, quia nullam ibi habet contentiosam jurisdictionem: potest tamen extra suam diœcesim uti rationa jurisdictione, suumque subditum in aliena diœcesi non modò in Sacramento Pœnitentiæ absolvere à peccatis & censuris, quin etiam extra Sacramentum potest à censuris eundem absolvere, itemque dispensare, delegare, literas dimissorias aut testimoniales expedire. Sed si Episcopus indebitè fuerit à propria diœcesi expulsus, potest in vicinia commorari, petitaque à loci Episcopo veniâ, jurisdictionem ibi contentiosam exercere inter proprios subditos, & ubi opus fuerit, excommunicare. Clement. unica de foro compet. His adjuget, posse in sua diœcesi seu territorio admissi, vel contractus ibi facti, vel rei aut prædii ibidem siti, cap. final. de foro compet. cap. 1. de privileg. in 6.

X. Inter injustas quoque censuras alia validæ sunt & subditos ligant, alia invalidæ ac nullæ sunt. Validæ porro, simulque injustæ sunt illæ quæ offendunt in reo causam materiale, scilicet mortalem culpam; sed habent in Judice causam injustam, scilicet odium aut vindictam, non verò laudabilem disciplinæ zelum. Item illæ in quibus Judex ordinem Juris non servat, qualis est trina præmonitio aut censura in scripturam cum expressione causæ redacta, cap. 1. & cap. *Statuimus*, de sent. excommunic. in 6. ordine, inquam, Juris accidentarium, servato tamen necessario & essentiali Juris ordine, qui consistit in una saltem præmonitione. Atque de hujusmodi censuris, non autem de prorsus invalidis Doctores communiter exponunt effectum illud S. Gregorii Papæ homil. 6. in Evangel. *Sententia Pastoris, sive injusta sive injuriosa sit, timenda est.*

XI. Cæterum censura quæ non fundatur in culpa mortali persone contra quam fertur, etiamsi falsa, quæ mortalis foret, causa fuerit sufficienter in iudicio probata, nulla penitus & invalida est apud Deum, neque conscientiam Rei ligat, ut omnes unanimiter docent. Ratio est, quia cum sententia sit actus justitiæ, cujus est suum cuique tribuere ad æqualitatem, eatenus solum obligat & valet, quatenus veritati & justitiæ conformatur. Suffragantur his Sancti Patres, ex quibus S. Hieronymus in Levit. 3. scribit: *Si quis non recto iudicio eorum qui præsumt Ecclesia depellatur & foras mittatur, si ipse non ante exiit, hoc est si non ita egit ut mereretur exire, nihil leditur in eo quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita sit ut interdum ille qui foras mittitur, intus sit; & ille foris, qui intus retineri videtur.* Citatur in cap. *Si quis non recto*, 24. quæst. 3. Sanctus pariter Augustinus hoc idem fultus docet lib. de vera Religione, cap. 6. dicens: *Sæpe etiam fit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel injuriam suam cum patientissimè pro Ecclesia pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis, vel hæresis moliri fuerint, docebunt homines quam vero affectu, & quanta sinceritate charitatis Deo servendum sit. Tantum virorum propositum est aut sedatis remeare turbibus, aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis, aut seior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine ulla conventiculorum segregatione usque ad mortem defendentes, & testimonio juvantes eandem Eadem quam in Ecclesia Catholica predicantur. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns. Rarum hoc videtur generibus hominum & exemplorum ad animarum curationem & institutorum solatium qui per æmulas & infensas factiones calumniis & infestationibus quæ vi, quæ dolo impetuntur.*

XII. Communis est Doctorum assertio contra Navarrum, posse innocentem

inocentem, contra quem censura materialiter injusta lata fuit, privatim seclusoque scandalo Missam celebrare, atque adhibita eadem præcautione Sacramentum Pœnitentiæ administrare. Tamen enim in externo foro habeatur pro excommunicato, apud Deum nihilominus, & in conscientia foro perinde est ac si talis censura justè, non fuisset ab hominibus sive per malitiam, sive per errorem notata. Quod idem sentiendum de omni censura intolerabilem errorem continente, idque multò fortius quàm de errore qui nascitur ex fallibilibus probationibus, & incomperata facti veritate. Navarra quidem cap. 27. num. 3. & Covarruvias in cap. *Alma mater*, p. 1. §. 7. num. 7. concl. 4. volunt talem censuram esse veram censuram, si saltem justa sit quoad forum exterius, hoc est juridicè prolata ex informationibus quanvis falsis, tamen sufficientibus ad juridicam ferendam censuram in externo foro; & reum, quanvis apud Deum innocentem, si transgrediatur, tum demùm subjici secundùm conscientiam & in occulto omnibus violatæ censuræ pœnis, atque adeo ut dicit Covarruvias, verè apud Deum ipsum irregularitati, si violet per actum Ordinis etiam occultè exercitum. Docent verò contrarium omnino Caietanus in tractatu 10. quæst. 2. de effectu excomm. Suarez de censuris disput. 4. num. 13. & 14. alique ferè omnes communiter, nullum aliud nocumentum inferre talem censuram, quàm novam obligationem vitandi scandali & contemptus Ecclesiæ, unde tamen nulla exurgat irregularitas, aliæ coram Deo pœna canonica, licèt apud homines veritatis inscios & in foro contentioso judicetur illas incurrisse, & verè ac justè puniri possit etiam apud Deum propter peccatum scandali palam exhibitum. Sed tamen ubi non timetur id scandalum, posse ab eo quem talis censura percussit Missam in occulto celebrari, absolutionem & cætera Sacramenta in occulto ministrari, aut etiam in publico, si accedat in eum locum ad quem fama hujus censuræ nulla pervenerit. Itaque tota ex occasione talis censuræ exurgens obligatio conscientia versatur per accidens in fuga scandali & contemptus Ecclesiæ, punibilis à Deo & hominibus; unde tamen non exurgunt per se canonice pœnæ, quia deest secundùm rei veritatem canonicum fundamentum, nimirum justa censuræ causa. Vide si lubet pro hac sententia Sayrum lib. 1. de censuris, cap. 17. Bonacinam de censuris in communi, disp. 1. quæst. 1. puncto 10. Valquez tract. de excommunicatione, dub. 11. num. 21.

XIII. Suspendio est censura privans usu Ecclesiastici Officii ( Officium autem in ordine & jurisdictione consistit ) aut usu Beneficii. Auferre verò omnino ipsum Officium aut Beneficium, spectat ad pœnam depositionis, aut ( quæ gravior est ) degradationis.

XIV. Interdictum est Ecclesiæ censura privans perceptione quorundam Sacramentorum, à divinis quoque Officiis, & ab Ecclesiastica sepultura. Et dividitur in personale, quo una, vel plures personæ; locale,

quo certus aliquis locus ; & mistum, quo tam locus ipse quam loci incolæ afficiuntur.

XV. Tempore interdicti generalis conceditur moribundis sacrum Viaticum ; non tamen Extrema-Unctio. Clerici tamen defuncti qui servaverunt interdictum, sepeliri in cœmeterio Ecclesiæ possunt sine campanarum pulsatione aliâve solennitate, & cum silentio. In Conventualibus Ecclesiis bini & bini, aut tres simul legere possunt sine ullo cantu, & januis clausis Canonicas Horas, demissa voce, ne exterius audiri queant, exclusis præsertim personis interdictis aut excommunicatis. Crucesignatis & peregrinis poenitentia concedi potest durante interdicto. Hæc omnia statuuntur in cap. *Quod in te*, de poenit. & remiss. Ibiq; Glossa verb. *Pœnitentia*, rectè infertur ex speciali privilegio Crucesignatorum & peregrinorum ceteros non esse ad poenitentiam admittendos & absolvendos, nisi instante mortis articulo. Privilegium quoque Clericorum qui servaverunt interdictum, ut possint in cœmeterio Ecclesiæ tumulari, insinuat quosvis alios ab Ecclesiastica sepultura excludi tempore generalis interdicti. Certè reliqui in Ecclesiæ communione defuncti, qui tempore interdicti publici fuerint in profano loco sepulti, transferendi erunt in Ecclesiasticam sepulturam postquam desierit interdictum.

XVI. Post Innocentii III. Constitutionem d. cap. *Quod in te*, successit Bonifacii VIII. Sanctio in cap. *Alma mater*, fin. de sent. excomm. in 6. per quam mitigatur prioris illius severitas. Concedit enim ut tempore generalis interdicti, sive à jure, sive ab homine decreti, quilibet Fideles etiam corpore sani possint ad Poenitentiae Sacramentum admitti, modo non sint excommunicati, quo casu reconciliandi non sunt sub interdicto nisi in mortis articulo, quemadmodum & illi quorum culpa causam interdicto dedit, & illi etiam qui consilium, opem aut favorem culpæ isti dederunt, nisi prius satisfecerint ; aut si in præsentem non possint, sufficientem dederint cautionem ; aut si neque hoc possint, saltem se quum primum valebant, satisfacturos juraverint. Sed in istis non ideirò relaxatur interdictum, quanvis indulgeatur ipsis Beneficium sacramentalis absolutionis. Addit præterea, posse durante interdicto generali in Ecclesiis & Monasteriis specialiter non interdictis, quæve causam interdicto nullam dederint, sed tamen in loco interdicto sitis ( hæc enim circumstantiæ supplendæ sunt ex Glossa in d. cap. *Alma mater*, verb. *Ecclesiis*, ) celebrari Missas aliæque divina Officia sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis hominibus exclusis, nec pulsatis campanis ; acquiri quoque, vel amitti ex Clericorum præsentia, vel absentia distributiones quotidianas, sicut ante interdictum. In festivitibus autem Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis gloriolæ Virginis pulsabuntur campanæ, & januis patentibus alta voce divina Officia sollemniter celebrabuntur, excommunicatis præsertim exclusis, sed in interdictis

terdictis nihilominus admittis, dummodo illi qui suâ culpâ causam interdicto dederunt, Altari nullatenus appropinquent.

XVII. Præfatæ mitigationes valent in loco generaliter interdicto, sed non valent in loco specialiter interdicto. Cæterum in ipsa Ecclesia specialiter interdicta potest occultè celebrari Missa, quantum dumtaxat opus est ut renovetur sanctissimum Sacramentum, quod infirmis pro Viatico reservari debet, & renovari potest etiam singulis hebdomadis, cap. *Permittimus*, de sent. excomm.

XVIII. Quod attinet ad formas in singulis censuris servandas, censura quidem tam à Jure quàm ab homine dimanantes circa futurum ali- quod delictum nullam exigunt Juris formam præter promulgationem, ad hoc ut sciri & observari possint. Ea verò sola censura quæ ab homine in- fertur circa delictum præfens cum contumacia conjunctum, ad hoc ut for- tiatur effectum has requirit condiciones. Primò ut trina præcesserit admo- nitio ad obediendum, can. *Omnes decime*, 16. quæst. 7. & can. *De Presby- terorum*, 17. quæst. 4. cap. *Contingit*, il 2. & cap. *Sacro*, de sent. excomm. & cap. *Constitutionem*, eod. in 6. Inter singulas admonitiones intervallum esse debet duorum saltem dierum, cum dicat d. cap. *Constitutionem*, in plu- rali, *Observent aliquot dierum competentia intervalla*. Atqui pluralis loquutio duorum numero est contenta, cap. *Pluralis*, de reg. jur. in 6. Et cum di- ctum cap. *Constitutionem*, dicat unam monitionem pro omnibus posse suffi- cere, hinc Navarra Manual. cap. 27. num. 11. eumque sequuti Suarez, Bo- nacina, aliique communiter docent, necessarium esse sex dierum inter uni- cam, quæ sit peremptoria, monitionem, & censuræ sententiam: sed eo casu admonenda est Pars, quod hæc sit unica & peremptoria monitio; alioqui enim non censeretur sufficienter contumax. Ubi verò periculum esset in mora, posset illud sex dierum tempus abbreviari, d. cap. *Constitu- tionem*, in fine. Declarat porrò Concilium generale sub Innocentio III. Prælatum qui excommunicationis sententiam promulgare præsumpserit, non præmissâ competenti admonitione, neque adhibitis personis præsen- tibus idoneis, per quas possit, ubi opus fuerit, præmonitio probari, etiam si causa excommunicandi justa fuerit, interdicti ipso factò ingressu Ecclesiæ uno mense, & aliis insuper subjici poenis, si videbitur Superiori, cap. *Sacro*, de sent. excomm. Cum verò Concilium generale testes requi- rat ad probandas præmonitiones, multò magis requiritur juridica probatio delicti quæ præcesserit præmonitiones & censuram, cui delictum illud cau- sam dederit.

XIX. Sententia contra eum lata qui nullo modo citatus fuit, nulla est ipso jure, cap. *Inter quatuor*, de majorit. & obed. Præsertim verò cita- tio, seu præmonitio necessaria est ad ferendam excommunicationis sen- tentiam, quæ maxima poena est earum quas infligere solet Ecclesia, ut as- serit S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 15. & citatur 24. quæst. 3.



can. *Corripiantur*; quia ut ibidem asseritur, hoc genus correptionis institutum est ad medicinam peccantium, & animarum salutem.

XX. Bonam esse praxim aiunt Felinus in cap. *Cum non ab homine*, de iudic. & Armilla verb. *Citatio*, num. 6. ut Iudices habitâ prius bona informatione per testes, incipiant à citatione; sic enim præventur ejus fuga & subterfugia qui reus judicandus erit: & videt Iudex si sit justa citandi causa.

XXI. Quævis censura, præsertim excommunicatio, ferri debet in scriptura cum expressione causæ; debetque istius scripturæ exemplum reo requirenti tradi intra mensem. Qui autem unum aliquod istorum Judent violaverit, suspensus ipso facto remanet ab ingressu Ecclesiæ divinisque Officiis. Et Superior ejus non modò hanc sententiam relaxabit, sed etiam latorem sententiæ ad expensas reo faciendas, & ad interesse aliasque poenas condemnabit. Ipse verò Iudex qui prædictam suspensionem incurrit, si eam violaverit, incidet in irregularitatem, à qua solus cum Papa poterit dispensare, cap. *Cum medicinalis*, de sent. excomm. in 6. Ibidem tamen Glossa in verb. *Judicium*, benè monet Episcopos non incidere in has suspensionis poenas, quia hîc non nominantur: & statuit cap. *Quia periculosum*, hoc tit. in omnibus Constitutionibus quæ poenam suspensionis, vel interdictionis decernunt, nullatenus comprehendi Episcopos, nisi specialis de eis mentio ibi fiat. Quæ eadem ex causa suspensio quam Generale Concilium Lateranense sub Innocentio III. indicit in eum qui sine competentibus præmonitionibus excommunicat, non habet locum in Episcopis, quia ibi specialitè non exprimuntur.

XXII. In summa itaque tenendum est, multis modis injustam esse censuram. Primò si feratur ab incompetente Judice, quo etiam casu irrita & nulla est. Secundò censura lata per inferiorem Prælatum postquam appellatum fuit ad Superiorem, non solùm injusta, sed etiam nulla est defectu potestatis. Tertio ubi nulla præmissa fuit admonitio, simul erit injusta & nulla censura. Ubi verò non tres, sed una aut altera præcessit admonitio circa præsentem seu præteritam culpam, valida quidem erit censura, sed tamen injusta, & per Superiorem relaxanda. Quartò idem judicandum de censura aliter lata quàm per scripturam, vel sine causæ expressione. Quintò censura nullatenus ligat, si Iudex qui sententiam tulit, non intendit ut ligaret, etiamsi mentem suam non expresserit, & reus existimet se ligatum. Idemque sentiendum de certis personis quas Iudex intenderit eximere, quanvis reliquos intendat illigare. Censuræ namque non aliter ligantur, quàm secundum Judicis à quo infliguntur intentionem. Navarra cap. 7. num. 11. Sextò conveniunt unanimes Doctores, quando censura decernenda est in aliquam, vel aliquas particulares personas, si admonitiones fiant, non ad domum, sed esse faciendas coram ipsis personis. Tum quia distinctius agendum est in materia censurarum, quàm in aliis judiciariis actibus.

actibus, in quibus jura permittunt citationem fieri in ipsa domo, absente reo, l. *Scire oportet*, §. *Qui autem*, D. de excusat. tutor. & cap. *Causam*, de dolo & contumac. vel ad Ecclesiam, cap. *Venerabilis*, in fin. eod. tit. Tum quia censuræ ferri solent contra contumaces, qualis fortè non erit absens qui nihil de admonitione resciverit. Excipe hinc si reus per dolum absit, aut se occultet, aut per vim ne admoneatur impediatur: sed istud quoque probandum erit, quâ probatione convincatur ejus contumacia. Præterea postquam fuit in persona propria commonitus semel, poterunt fieri reliquæ commonitiones ad ejus domicilium, quanvis absentis, juxta Ugolinum tab. 1. cap. 18. §. 1. Bonacinam de censur. in com. disp. 1. quæst. 1. puncto 9. num. 9. & plerisque alios Scriptores. Atque ita decrevit Rota Romana decis. 399. in novis. Præterea Glossa in d. cap. 1. de sent. excomm. in 6. feruel & iterum notat laram sine scripto aut expressione causæ censuram esse nihilominus validam. Idque colligit ex his Canonis verbis: *Superior hanc sententiam relaxabit*. Ita pariter sentiunt Summistæ.

X XIII. Et ne quid omittatur in hac materia scitu necessarium, observa quando non agitur de nova infligenda censura, sed de declarando quod aliquis in censuram pridem vel à jure vel ab homine latam incidere, tunc non utendum esse præmonitionibus, sed citationibus, ut reus in jus veniat rationem sui facti redditurus. Non enim justum habetur judicium, præsertim in causa criminis aut pœnæ, nisi parte legitime citata, ut jus, si quod habeat, tueatur, suasque proferat exceptiones, sibi que obiecta refellat, aut culpam suam agnoscat & fateatur. Alioqui rescindenda meritò sententia est quam citatio non præcessit, l. 1. §. *Item ex eo edicto*, D. quæ sent. sine appellat. rescind. cap. *Iner quatuor*, de majorit. & obed. Ideoque Abbas Siculus in cap. *Pervenit* 1. num. 5. de appellat. asserit non esse denunciandum aliquem Clerici percussorem, nisi ipso antè citato, & examinatis probationibus super rei veritate. Idem tradit Glossa in cap. *Sacro*, verb. *Constiterit*, de sent. excomm. Nisi fortè tanta esset facti notorietas ut nullum tergiversationi locum relinqueret, juxta cap. *Pervenit*, de appellat.

X XIV. Caveat denique Prælati, ne in monitoriis ad criminis testificationes eliciendas ullatenus reus nominetur aut designetur, nisi per voces individui vagi, ut *aliquis*, *quidam*. Injuriousum enim foret si ejus persona publicaretur nondum probato delicto: sicut superius admonui lib. 4. cap. 4. circa juridicam criminis inquisitionem, juxta cap. *Inquisitionis*, & cap. *Quæstio*, il 2. de accusatione.


X XV. Contingere facile potest, ut Prælati certam habeat notitiam criminis à subdito admissi per dignas fide aliorum relationes secretas; nec tamen expediat litem Clerico intentare ob evitanda emersura scandala, aut graves quæ prævidentur difficultates. Si ergo Prælati post privatam admonitionem in pœnam præteriti delicti, & præcautionem recidivæ, privatam

privatim interdicit aut suspendat Clericum sine scriptura, tenebitur Clericus in conscientia mandato Prælati obedire. Id confirmatur cap. *Tam liberis*, de testibus: ubi Papa sine præcedentibus solitis formis suspendi jubet Clericum ob præcedens delictum. Ex alia verò parte supponendo suspensionem aut interdicitum privatim fuisse significatum, si Clericus sibi conscientius attentet has violare censuras per Ordinis sacri exercitium, peccabit proculdubio; non tamen in irregularitatem cadet, quia Prælati non processit per modum juridicum, sed per modum privatæ poenæ, sive medicinalis, sive vindicativæ. Ita Zerola 1. p. verb. *Suspensio*, §. 7. Bonacina de censuris in communi, disp. 1. quæst. 1. puncto 9. n. 3. Secus judicandum de excommunicatione, quæ hoc peculiariter habet, ut præter delictum requirat pariter contumaciam, ideoque infligi non potest pro præterito delicto.



## CAPUT XI.

## De effectibus excommunicationis.

I.  Cito recensentur majoris excommunicationis effectus. Horum primus est privatio communium Ecclesiæ suffragiorum. Privatim autem potest quilibet fidelis Deum precari pro quolibet excommunicato, etiam minimè tolerato. Imò Sacerdos quilibet ad Altare potest orare pro excommunicatis, sive vivis, sive defunctis, in secretis & particularibus commemorationibus, quæ fiunt in Canone Missæ.

II. Secundus effectus est privatio, tam activæ quàm passivæ participationis Sacramentorum Ecclesiæ. Sanè validè, sed tamen illicitè Sacramenta administrare potest omnis excommunicatus toleratus Sacerdos. At verò non toleratus, seu vitandus Sacerdos, quanvis validè, nec tamen licitè possit alià Sacramenta; nullatenus tamen validè potest administrare Poenitentia Sacramentum, quia excommunicatio vitandi & non tolerandi omni privat jurisdictione, præterquam in articulo mortis.

III. Soli autem censendi sunt excommunicati vitandi omnes illi qui publicè & nominatim denunciati fuerunt, necnon ille qui adeo manifestè & publicè in personam Clerici, aut in res ei coherentes vim aliquam injuriosam adhibuerit, ut nullà possit hoc delictum tergiversatione celari, vel excusari, juxta Concilii Constantiensis canonem quem Martinus Papa V. approbavit, cujus textus hic est: *Ad evitanda scandala & multa pericula quæ conscientis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsen-*